

Henrici VI Reg. 3. Imper. 2.
Bernardi II Ep. Pad. 7.

Novus Imperator Henricus eo nomine V. Regum sextus, postquam inter Suevos & Alsatas Haganoæ Christi Natalitia peregrisset, per octavam Epiphaniæ Wormatiam ad conventum Principum accessit, ibique Brunonem, Adolphi Montium & Altenæ Comitis filium, quem Clerus Coloniensem Archiepiscopum elegerat, utroque Ducatu Westfalix, & regalibus donat; Lotharium verò Bonnensem Præpositum, quem nobilitas & populus designarat, acceptis ab eo tribus millibus marcarum, Leodiensi Ecclesiæ præfecit, rejecto utroque Alberto, qui per dissidia electi erant. Fœdum & frequens Ecclesiæ malum ex his electionum dissidijs, postquam per ambitum quaesita, quæ antè virtuti & meritis dabantur. Vix dum electio Episcoporum è manibus Imperatorum extorta erat, cum per dissidia cleri aperta via Imperatoribus eandem repetendi. Maturabat per hæc consecrationem suam Bruno. Ad hanc quia Joannes Trevirensis Archiepiscopus, & Virdunensis Præsul evocati, recusarunt interesse Hermannus Monasteriensis, & Balduinus Ultrajectensis Episcopi; quòd pro jure sibi consecrationem vendicarent. Jam enim, ut ex Godefridi narratione, & Godehardi Epternacensis Abbatis restitutione apud Browerum constat, Hermannus Monasteriensis Episcopus cum alijs redierat in provinciam suam. Desiderati verò ex peregrinatione sacra Engelbertus Comes Montium, Widekindus Swalenbergæ, & Waldecæ Comes, Widekindus Rhedæ Dynasta, cujus ossa Marienfeldiam ad Cœnobium transportata, & honorifico, ut donatione ejus loci ante alios meruerat, tumulo sunt inclusa. Quod verò idem Godefridus ad hunc annum adscribat: *Bellum grave in Westfalia inter Comites terræ illius exarsisse*, id ego, quale fuerit, in nullis annalium monumentis reperio; nisi id de prioris anni bellis dixeris, quæ inter Henricum Leonem & Episcopos, Abbatemque Corbeensem, ac ceteros fortè Comites ab Imperatore excitos fuere.

Godefrid. Egidius aurea valis apud chap. tom. 2. c. 5. Bruno Archiep. Colon. eligitur & consecratur.

Qui desiderati in peregrinatione Sacra.

At Cœlestinus Pontifex, qua erat beneficentia erga Clerum, hoc anno Collegium Canonorum, quod apud nos est Buxtorfianum à Meinwerco conditum, insigni diplomate exornavit, quo Canonicis controversum prædium adjudicavit, facultatemque dedit non modò eligendi Præpositum, sed & cum primario etiam clero conveniendi ad electionem Episcopi, quod ejusmodi est.

Cœlestinus Pont. prædium Helm-geldere, electionemque Præpositi & Episcopi Buxtorfianis confirmat.

Celestinus Episcopus Servus servorum Dei. Dilectis filiis, B. Præposito et Canonicis minoris in Patherburn Ecclesiæ salutem et Apostolicam benedictionem. Pius filiorum votis condescendere, et facilem assensum præbere nos condecet, ut tanto sint nobis et Ecclesiæ Romanæ devotiores quanto se noverint plenius exauditos. Eapropter dilecti filij Canonici minoris Ecclesiæ in Patherbrun postulationibus vestris aures faciles accomodantes, vobis et Successoribus vestris in perpetuum confirmamus prædium videlicet in Hemgeldere, quod B.

pius